



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De pistrice blasphemante, cuius pasta versa est in fimum, cap. 17.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

tremis confessa est Abbati nostro domino Henrico. Hic cum canonicus esset in Ecclesia Bonnensi, & ipsa sanctimonialis in Ditzkirgen, quæ est domus nigri ordinis, Deo inspirante, illi relictis omnibus, conuersionis gratia ad domum nostram venit, & ipsa pro eius perseuerantia, quanto intentius potuit, Domino supplicauit: paucis diebus elapsis, cum à fratribus suis carnalibus vi fuisset eductus ante habitus susceptionem, ipsa desperans dimisit orationem. Quam ipse mox in somnis ob hoc arguens, & ut omittas orationes reinciperet admonens, adjecit: Primam Missam meam audies in ordine Cisterciensi. Quod ita Dei nutu factum est. Nam ipse ad nos rediit, & ipsa habitum mutauit, sicque in monte sanctæ Walburgis, ubi tunc temporis Priorissa fuit, primam eius Missam audiuit. **A P O L L O N I V S**: Non miror, si Deus huic religiosæ feminæ prædicti potus mutauit saporem, cum mihi nouitio, ut de perfectis taceam, amara quæque conuerterit in dulcorem. Melioris siquidem saporis nunc mihi videntur nostra incondita pulmentaria, quam ante conuersionem fercula carniū delicatissima. **C A S A R I V S**: Farinula Elizei, id est gratia Christi, fecit hoc. Iordanus verò monachus de Hemmenrode aliquibus annis, quod magis fuit miraculosum, studio abstinentiæ ab omni potu abstinuit, tempore tamen messionis, siue in multo caumate, cum reliquis laborans. Ut ad prædicta redeamus, sicut Deus bonis, & amara quæque cum gratiarum actione gustatibus, conuertit in dulcedinem, ita aliquando ingratis dulcia in amaritudinem.

## CAPVT XVII.

**D**Vm post confirmationem Ottonis in regno tanta esset abundantia annonæ, ut in Episcopatu Coloniensi maldrum quinque vel sex denariis multo tempore venderetur, contigit in quadam eiusdem diocesis villa, cuius nomē excidit, miraculum dignum memoria. Pistrix quædam panes ad coque dum formauerat, & quia tempore abundantie pistores modicum lucrantur, illa commota clamauit ad

4. Reg. 4

De ingratitude,

Qq 2

puc

puerum suum; Mitte hunc fimum in clibanum. iusto Dei iudicio factum est ei secundum verbum suum, & pasta pulcherrima per decoctionem conuersa est in fimum. Extrahēs verò panes, cum reperisset formam, non substantiam, extimuit, & fimum fino miscens, tantum miraculum celare non potuit. Marcinannus monachus noster, tunc temporis cellerarius, partem vnius panis nobis attulit, quem curiosius considerantes, nil in eo vidimus, nisi fimum conglutinatum. Valde enim celebre factum est hoc miraculum tempore eodem: saepe enim Deus homines in ea re, qua peccat, punit; verbi gratia.

## CAPVT XVIII.

\* al. Scho  
nimbarg.

**N**obilis vir Otto de \* Stomburg, patre suo existente ex illa parte maris in seruitio Domini, ipse iniquè egit contra Dominum & aduersus seruum eius, parentem proprium. Nam sicut ipse cum suis auxiliarijs cōdixerat, ciues oppidi, quod iam dicto castro attinet, dolosè, quasi aliquid cum eis tractaturus, capere, & exactionem in eos facere proponebat: qui cum pramoniti fugissent, vxores eorum & liberos spoliauit. Et quia tam iniquè egit contra suos, Dominus plaga insanabili illum percussit: addita est pœna mirabilis. Nam in præterita quadragesima tantum appetitum habuit carnes comedendi, vt non solum eis carere non vellet, imò etiam cocum suum ad comedendum illas secum vi compelleret, Quas cum pertinaciùs manducasset per totam quadragesimam, ventumque fuisset ad feriam sextam ante Pascha, dixerunt ei quidam; Domine, hodie dies est Dominicæ passionis, dies Christiane afflictionis, hodie carnes omnino comedere non licet: quibus respondit: Ego comedā hodie sicut hætenus comedi. Mira res: in ipso sanctissimo die Paschæ, quando carnes benedicuntur, & fidelibus per sacrā communionē illas comedere licentiatur, ipse illis, ob prædictā transgressionē, iusto Dei iudicio, vesci non potuit, piscib<sup>us</sup> deinceps vtens, vsque in diē mortis suæ. **A POLLONIVS:**  
Iustus est Dominus. **CÆSARIVS:** ad honorem Domini  
Salua-